TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

HYSTERIA.

3

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

HYSTERIA;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

COLINUS CAMPBELL,

SCOTUS.

ΕΠ' ἢν δὲ πρὸς τῷ ἥπατι ἔωσιν αἱ μῆτραι, καὶ τοῖσιν ὑποχονδρίοισιν, πνίγουσι, καὶ τὰ λευκὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἀναβάλλει, καὶ ψυχρὴ γίνεται. HIPPOCR.

Pridie Idus Septembris horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

M DCCC I.

CONSANGUINEO MEO MAXIME COLENDO

JOANNI CAMPBELL,

DE ORANGE BAY,

ARMIGERO,

COMITATUS HANOVER,

IN INSULA JAMAICENSI,

CUSTODI ROTULORUM;

QUO VITAE INTEGRITATE, BENEVOLENTIA,
ET AMICITIA ET STUDIO ERGA SUOS NEMO FUIT
INSIGNIOR,

HOC TENTAMEN INAUGURALE,

ANIMI GRATI OBSERVANTISSIMIQUE,

TESTIMONIUM

SACRUM VOLO

COLINUS CAMPBELL.

CORRIGENDA.

Pag. 10.	lin. 2.	*pro* innuptam,	*lege* innuptum.
11.	5.	*lege* in Noſocomio	
12.	4.	*poſt* eſſe,	*ſupple* et
18.	12.	*pro* plena	*lege* larga

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

HYSTERIA.

AUCTORE COLINO CAMPBELL.

IN omnibus morbis, quibus corpus humanum afficitur, nervi plùs minúſve laborant; in aliis autem morbis nervi praecipuè ſe malè habent, igitur Neuroſes a noſologis appellati ſunt.

Hyſteria, de quâ pauca diſſerere in animo eſt, inter morbos nervoſos primum tenet locum, ut quae unà cum hypochondriaſi nervis affectis diu attributa eſt. Apud medicos enim his morbis ſolis nomen nervoſis olim inditum erat.

 In

In noſtris autem temporibus alii et graviores morbi nervoſi quoque appellati ſunt.

Veteres, Hyſteriam ab uteri affectione oriri exiſtimantes, ei nomen, ſuffocationem uterinam, vel aſcenſum uteri, dederunt. Inde nomen ejus hodiernum.

Hyſteria, ſicut plerique morbi nervoſi, paroxyſmis gaudet. Aliis aegrotis alia ſunt ſymptomata, nec in ullis duobus exemplis eadem inveniuntur. Paroxyſmus tamen plerumque ita ſe habet.

Aegra frigoris ſenſu per totum corpus obrepitur; in ſiniſtro abdominis latere primo doloris, plenitudinis, et quaſi globi adeſt ſenſus. Hic globus ſecundum inteſtinorum curſum ſe volvere videtur; ad ventriculum pervenit, inde ad fauces aſcendit, ibique à larynge compreſſa ſtrangulationis ſenſum producit. Stupor et ſenſuum hebetudo, praeſertim viſûs et auditûs

ſequuntur. Corpus variis convulſionibus jactatur; brachia ſurſum et deorſum agitantur, et pectus ſaepe percutiunt. Perſtante paroxyſmo, convulſiones aliquando pauliſper remittunt, ac de integro cum magna vi renovantur: tandem autem aegrâ omninò confectâ et ſopore obrutâ, prorſùs decedunt. Interdum ſubito, ſed plerumque frequenti ſuſpirio, ſingultu, et eructatione praegreſſis, ſenſus et motus redeunt; inter paroxyſmum omnia clam aegrotum aguntur.

Ante paroxyſmum vulgò urina limpida copioſè redditur. Incipiente morbo, aegra vomitu, reſpiratione difficili, vel cordis palpitatione afficitur; perſtante, muſculi abdominis ita contrahuntur ut umbilicus omninò evaneſcit: ſphincter ani tam arctè conſtringitur ut enema difficillimè injicitur. Aliquando caput valdè dolet; haud amplius autem ſpatio pollicis unius laborat: Clavus Hyſtericus inde nomen. Modo aegra, ſine carie aut inflammatione odontalgiâ

afficitur,

afficitur, ſed frequentiſſimè dolor eſt lumbis, qui vel leviſſima hujus morbi ſymptomata comitatur. In hoc morbo, ut vult Sydenhamius, partes externae tument et dolent; ſcilicet fauces, humeri, manus, femora et crura. Oedema hydropis digiti impreſſionem retinet; veſperi augetur, mane minuitur: Oedema Hyſteriae è contrà mane augetur, digitoque comprimenti non cedit; atque crus unum tantùm afficit. Omnes dolores ſupra memorati partes affectas tam ſenſibilis reddunt ut etiam poſt deceſſum tangere non liceat.

Hic morbus Proteiformis aliis morbis haud rarò vereſimilis eſt, et exempla haud deſunt quorundam ancipitum, qui, adveniente paroxyſmo Hyſterico regulari, ſtatim deceſſerunt. Cl. Ferriar, Mancunienſis, inquit, "I have met with "ſeveral caſes of Hyſterical hymoptoë, in "which the quantity of blood evacuated was "very conſiderable. Six or eight ounces were "ſpit up daily for a fortnight or three weeks "ſucceſſively.

" successively. Most of the usual symptoms " attended which denote danger in this com- " plaint when it arises from other causes; but " the equal moderate state of the pulse, and " the appearance of some degree of globus " hystericus, seemed to determine the nature " of the complaint: A conversion accordingly " soon took place to the ordinary hysteric pa- " roxysm, and no bad consequence followed " the haemorrhage from the lungs.

" When the hysteric disposition is put in mo- " tion, it is not uncommon to find many of the " different viscera attacked by it in turns, and " the diseases peculiar to each counterfeited " with much exactness. In one case, the " bowels were attacked, and the symptoms of " enteritis were so precisely imitated as to give " much alarm for the patient's safety. I sus- " pected the nature of the disease, from ob- " serving that the pulse was soft and full, that " the evacuations were natural, and that her " spirits were agitated even to involuntary

" emotions

" emotions by ſlight cauſes. This caſe ter-
" minated ſucceſsfully on the acceſſion of clear
" hyſteric ſymptoms. "

Morbi impetus ad revertendum ſemper proni ſunt; aliquando voluntati parent; aegra enim, prioribus paroxyſmis in animum revocatis, novum paroxyſmum creare valet. " It is, " inquit Cullenus, de frequentiore Hyſteria in Anglia quàm Scotia loquens, " common for a wo-
" man to threaten her huſband with a fit in
" England, which I never knew or heard of
" here. "

Per intervalla animus nec ſponte ſuâ varius et mutabilis eſt: à riſu ad ploratum vel à ploratu ad riſum citius dictu tranſit. Plerumque mortis timore affligitur: irae, zelotypiae et ſuſpicioni ſemper, gaudio et hilaritati raro, aut tantùm tempore brevi, indulgere ſolet. Quos nunc praeter modum amant, paulo pòſt ſine cauſa in odio habent. Quod nunc facere in animo

eſt

eſt id extemplo ponitur. Denique, verbis Sydenhami, " Ita ut nullibi mediocritatem ſer-" vent, in una levitate conſtantes. " Interdum delirium urget, et in caſu qui Gregorio cel. obvenit, aegram chordis conſtringere neceſſe erat.

Hyſteria rarò ante menſium eruptionem aut poſt deceſſum ſeſe oſtendit. Sed illà aetate maximè gaudet quum plethora arterioſa adeſt, et venae arteriis robore praeſtant. Gregorius tamen puellam, novem aut decem tantùm, et faeminam ſexaginta annos natam, hoc morbo laborare vidit.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Huic morbo maximè obnoxiae ſunt faeminae, temperamento ſanguineo et habitu corporis pleno, quae vitam in otio et luxuria agunt. Viragines potiùs quàm teneras puellas, innuptas quàm nuptas, ſteriles quàm foecundas, et proinde

inde viduas haud provectâ aetate, afficit. Regionibus calidis quàm frigidis magis gaudet; igitur in Anglia quàm Scotia, Europa meridionali quàm ſeptentrionali, frequentiùs videri licet. Modus vitaé quoque hujus invaſionem magnoperè adjuvat. Inde in hac noſtra regione olim raro, luxuriâ autem graſſante, nunc ſaepiſſimè occurrit.

Species ſex hyſteriae à Sauvage numeratae, celeber. Culleno tantùm à variis cauſis remotis oriri videntur. Hic eruditiſs. auctor, ut conſilia medendi meliùs appareant, hyſteriam ſextuplam poſuit.

Hyſteria plethorica ſimplex primò notanda eſt. Plethora et temperamentum ſanguineum tantam diatheſin Hyſtericam gignunt, quanta menſibus aequabiliter fluentibus, et corpore alias benè ſe habente, ab animi pathematibus morbum creare valet.

Secundum

Secundum locum tenet Hyſteria a menſibus retentis aut ſuppreſſis. Haec varietas ad priorem referenda eſt. Nam menſes, aut haemorrhagia quaevis ſuppreſſa, plethorae eſt cauſa.

Varietas tertia eandem agnoſcit cauſam. Chloroſis enim vel retentionem vel ſuppreſſionem menſium comitatur. Chloroſi a retentione, ſanguis cruore ſpoliatus nimis liquidus eſt; functiones corporis totius languent. Chloroſi autem à ſuppreſſione, adſunt plethora, vultus nitidior, ventriculus et inteſtina melius ſe habentia.

Hyſteria libidinoſa raro in hiſce regionibus, calidioribus ſaepiùs videtur. Non ſolùm deſiderio veneris effraenato aſcribi, ſed quoque veneri nimium petitae referre oportet; ab utraque cauſa enim corporis mobilitas valdè augeatur. Nec mirum videtur foeminas huic varietati prae caeteris obnoxias eſſe quae lautè et otioſè vivunt.

Hyſteriam ſterilium haud certè ſcimus ſi aegra ſit innupta, an ad ſtatum innuptam, an ad varietatem ſuprà dictam, referre oportet: ſed in nuptis, quibus liberi non ſunt, ſterilitatem ut cauſam ſuſpicari licet. Utrum ſterilitas majorem ad venerem proclivitatem, an haec ſterilitatem gignit, varietas, de qua agitur, omninò alia eſt, ac Hyſteria libidinoſa quanquam cum ea frequenter conjungitur.

Hae omnes varietates, eâ a retentione menſium exceptâ, a plethorâ originem ducunt. Ab his Hyſteria ex inanitione haemorrhagiis, vel aliis evacuationibus, longè diverſa eſt, menorrhagicas et puerperas ſaepe invadit. In quibuſdam faeminis ſanguine ad uncias quatuor ſolùm miſſo, ſtatim conſequitur.

CAUSAE

CAUSAE EXCITANTES.

1. Quaecunque ſenſuum organa magnoperè afficiunt, praeſertim alicujus, hoc morbo laborantis, conſpectus, paroxyſmum Hyſtericum inducunt. Hinc Noſocomio, ab una primo affecta, plures, fortaſſe omnes, paroxyſmis ſimilibus correptae ſunt.

2. Subiti animi affectus, vel excitantes vel deprimentes, inter cauſas habendi ſunt.

3. Corpus ullo modo ſubitò mutatum, alia eſt cauſa. Inde faeminae maximè afficiuntur, ut quibus muſculi magis flaccidi ſunt, et quae impreſſionibus externis vel internis faciliùs moveantur.

CAUSA PROXIMA.

Pater medicinae, Hippocrates, uterum in hoc morbo, vafis ejus plus folito depletis, propter ficcitatem fuffocatum effe, ad hepar afcendiffe caufa humiditatis, quâ abundavit, attrahendae putabat. Secundum Sydenhamium, caufa Hyfteriae proxima fpiritibus animalibus ad partes magnâ irritabilitate praeditas, ficut in noftro morbo, ventriculum et inteftina, nimiâ copiâ delatis referenda eft. Cullenus huic fententiae affentit, fed aliquid amplius opus effe caufam proximam exponere dicit. Illo judicante, fyftematis mobilitas plerumque à plethora orta maxima pars caufae proximae eft. Nam quum à vafis cerebri diftentis, epilepfia, et à fanguine in pulmonibus congefto, afthma nafcitur, analogia arbitrari ducit, fanguinem in

utero

utero ſeu in aliis partibus genitalibus plus ſatis abundantem, ſymptomatis Hyſteriae ſpaſmodicis, et convulſivis originem praebere. Hic morbus ſaepiùs plethoricos corripiens opinioni favet; ſed quare Hyſteria haemorrhagiis et aliis inanitionis cauſis ſupervenit? et qui fit ut menſibus fluentibus, hic morbus ſaepiùs occurrit, quum nullam ſanguinis in utero congeſtionem adeſſe oportet? De Hyſteria igitur, ut de epilepſia, cauſam proximam adhuc ignotam eſſe, nobis confitendum eſt. Hi morbi enim, nunc in alio corporis ſtatu nunc alio longè diverſo, videantur. Quoniam functio, ſtructura, et circulatio ſanguinis cerebri ac uteri longè diverſae ſunt, analogiam inter epilepſiam et Hyſteriam fruſtra perſequi vellemus.—Et quoniam menſibus fluentibus vel obſtructis in plethoricis et depletis, interdum in viris quoque, Hyſteria occurrit, uteri affectio non niſi cauſa praediſponens habenda eſt. Dum fluant menſes, corporis mobilitas valdè augetur, tunc temporis igitur paroxyſmus Hyſtericus frequentiùs

tiùs redit. Caufa proxima fortaffe eft canalis alimentarii irritabilitas aucta, qui caufis remotis applicatis in fpafmos convulfionefque facilè tranfit. Motu inteftinorum naturali ita obftructo, motus retrogradus vel antiperiftalticus evadit. Hinc a retropulfo et interclufo flatu fenfus globi et ftrangulationis enafci poteft.

DIAGNOSIS.

A medicis Hyfteria et hypochondriafis morbi nervorum diu appellati, et idem morbus, nunc mulieres nunc viros afficiens, habiti funt. Sydenhamus, Boerhaavius, Swietenius, et etiam Whytt, in hanc fententiam inierunt. Nofter autem illuftrifs. Cullenus figna duorum morborum diagnoftica, a Hoffmanno primo notata, optimè narrat. Hyfteria et hypochondriafis alia, alium fexum, aliud temperamentum, aliam aetatem

tatem atque animum, amant. Hyſteria mulieribus, hypochondriaſis viris magis gaudet. Illa temperamentum ſanguineum, hic melancholicum; illa juventutem, hic aetatem provectiorem invadit. Hyſteria animum varium et ſemper mutabilem, hypochondriaſis animum timidum, moeſtum, et propoſiti tenacem, potiùs diligit. Illa in regione calida, hic frigida melius viget. Illa à debilitate cum irritabilitate, haec à debilitate cum torpore; illa, Culleno judicante, a plethora arterioſa, haec a plethora venoſa oriri videtur. In Hyſteria ſemper, in hypochondriaſi raró, aut nunquam, motus inteſtinorum antiperiſtalticus evadit. Inter ſigna Hyſteriae pathognomonica, urina limpida et globus meritò habeantur. A metu, ſanè, frigore, aliiſque cauſis, magna copia urinae limpidae ſaepe redditur; ſed ſi unà cum urina limpida, globus, ſingultus et ploratus involuntarius aderint, aegram hyſterià laborare, compertum habemus.

PRO-

PROGNOSIS.

Hic morbus ipſe, raró alicui mortem conſcivit, ſin autem paroxyſmus magnoperè gravis erit, ſuperveniente apoplexiâ, ſicut in epilepſia, vel ut nonnullis placuit aſphyxiâ, aegrota interdum ſubitò obiit. Praeterea ſi aliquem diu vexare conſueverit hic morbus, identidem levari poſſit; at paroxyſmis ſemper redeuntibus corpus pro certo debilitat, atque acceſſiones, aliorum morborum faciliores reddit. Hyſteriae igitur obviam ire, et ſi fieri poteſt in exilium mittere, omnes medicos ingenuos quam celerrimè oportet.

RATIO

CURATIO.

Paroxyſmum ſolvere, reditumque impedire, conſilia ſunt medendi. Inter paroxyſmum ſi plethora adſit, quò minùs ſopori Hyſterico Apoplexia ſuperveniat, ſanguis e jugulo mittatur. Venaeſectione autem, ut quae corporis mobilitatem et plethoram augeat, cautè et fortaſſe in primis acceſſionibus ſolis, utendum eſt. Superficie et extremitatibus frigoris ſenſu laborantibus, maximè profuit ſemicupium; ita enim ſanguis ad partes externas illici ſpaſmique ſolvi poſſunt. Interdum odores varii, ut ammoniae, plumarum uſtarum, vel gummi foetidorum paroxyſmum fugârunt. Si alvus ſit aſtricta, injiciatur enema ex aloe et aſafoetida. Si vo-

mitus urgeat, aut ſi ventriculus valdè doleat, emeticum adminiſtretur, e. g.

R. *Pulv. Rad. Ipecac. gr. xxv.*

Enema ex aqua frigida, teſtante Pomme, * ſymptomata Hyſteriae ſemper levavit. Si frigida faciei aſpergatur, ut à Culleno accepimus, ſtimulus utilis praeberi, et aegra a comate excitari poteſt. Cl. Currie de Liverpool experientia doctus inquit, frigidarium vel frigidam etiam copioſe affuſam paroxyſmum Hyſtericum ſemper ſolviſſe. Ubi plethora abeſt, paroxyſmus plena doſi Tr. Opii aut Aetheris ſulphurici optimè ſolvitur, dummodo aegrae deglutitio manſerit: ſed ubi nec plethora nec inanitio adeſt, gummi foetida, moſcha, camphora aut valeriana adhibeantur.

Conſilium

* Vide Traité des Affections Vaporeuſes des deux ſexes, par M. Pomme.

Confilium fecundum, abfolvere, a plethora aeque ac inanitione, cavendum eft. Caufae excitantes quoque fedulò effugiantur. Plethorae ac mobilitati obviam ire, fi aegra vitam otiofam et luxuriofam egerit, multùm fub divo fe exercere difcat, et diaetâ minus lautâ utatur. Cibus ex vegetabilibus, cerealibus praefertim, maxime conftet.

Quum plethora fit nulla, in frigidarium defcendat; hoc enim corpus ita firmat robor-atque ut plethora et mobilitas haud faepe redibunt. Sin autem aegrota debilis fit, macra et pallida, cibo animali, vinoque rubro opus eft. Exercitatio lenis, ut aequitatio, magnoperè adjuvabit. Gregorius exemplum puellae generofae narrat, quae, paroxyfmo inftante, in equum afcendit, et ita paroxyfmo nullo correpta fuit.— Ad haec, cinchona et ferrum largiter fumenda funt. Rubigo ferri omnibus aliis hujufce metalli praeparatis longè praeftat, ut qui copia majore adhibeatur, nec ventriculum naufea af-

ficit. Si res finant, aegra ad fontes chalybeatos proficifcatur, et balneo utatur. Sed quod maximi eft, ibi animus vulgò hilaris eft, et fpei plenus.

Cel. Gregorius paroxyfmum in foemina generofa per nivem in os receptam, et in aliis faepe, per aquae frigidae hauftum, prorfùs aboleri vidit: foeminis quoque in nofocomio noftro optimè deambulationem jubere folitus eft.

Quodcunque animum jucundè exerceat, in omnibus morbis, fed praefertim nervofis, femper erit utiliffimum. Immò, quodcunque animum magnoperè agitat, huic morbo profuit. Inde per bellum civile anni 1745 Hyfteria minus invaluiffe fertur. Exempla etiam haud defunt foeminarum, quae in rebus fecundis hoc morbo laborare folebant; in adverfis autem poftea ab Hyfteriae paroxyfmis expertes diu vixerunt.

FINIS.

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO.